

studebimus. Id vero ante omnia animadverti velim, in Hieronymi editionibus initium esse a verbis *Puto levius esse crimen*, quæ cum sequentibus usque ad illa, *evaporans præstat refrigerium passioni*, in Ambrosianis deficiunt, ubi principium sonare solet, *Audite qui prope estis*. In editione Hieronymi *Erasmiana Bas.* 1516 exstat *tomo II, fol. 81-85*. « Dictu mirum est, scribit Erasmus, quam hic liber diversus habebatur in exemplaribus. Nec idem erat initium, et alia in aliis supererant aut deerant, tum pleraque diversa habebantur. Stylus palam arguit non esse Hieronymi, etiamsi non indignum censeam, qui legatur. Gustus phrasim non abhorret ab oratione divi Augustini. » In editione *secunda Frobeniana* a. 1537 exst. *tomo IV, pagg. 139-143*; in edit. *Mariani Victorii Antuerpiensis impressionis* a. 1579, *tomo IX, pagg. 104-107*; *Parisini exemplaris*, a. 1609, *tomo IV, pagg. 865-874*; item a. 1643, *tomo IX, pagg. 88-91*; in his ommissa est censura Erasmi. In ed. *Francofurtana* a. 1643 legitur *tomo IV, pagg. 92-96*; in ed. *Benedictinorum Parisiis* 1706, *tomo V, pagg. 176-182*; in ed. *Vallarsii Veronæ* 1742, *tomo IX, pagg. 178-192*, et *Venetis* 1771, *tomo XI, part. II, pagg. 245-263*. Vallarsius auctorem scribi jubet Nicæam et eundem pu-

at cum Hypodiacono Aquileiensi, qui cum familiaris Hieronymi fuerit, facile accidere potuisse ut liber ejus locum inter Hieronymianas scriptiones invenire, sicuti Ambrosio ob argumenti similitudinem, quod sæpius de Virginitate et Virginum institutione dispellet, videatur ascripta. Sed prior ratio, quam levius sit, nemo non intelligit, posterior æque in Hieronymum ac Ambrosium cadit. Cæterum in Vallarsiana editione diligentissime hic liber tractatus est, dijudicatis etiam Benedictinorum, Ambrosii editorum, variis lectionibus et observationibus.

In AMBROSII operum ed. *Basileensi*, (a. 1527) exstat *tomo I, pagg. 178-186*. Typographi errore caput ultimum, quod *consolationem lapsæ* continet, quasi novus libellus singulari titulo exscriptus est. Erasmus in brevi ad lectorem admonitione in adversa tituli pagina impressa declamationem esse, inquit, qualis illa Hieronymi de matre et filia reconciliandis, et inter Hieronymiana scribæ dolo, ne scilicet deprehenderetur, ab initio, juxta quam in medio et fine esse interpolatam. In *Sixtinæ* editionis exemplari *Parisienâ* a. 1603 legitur *tomo IV, pagg. 449-456*; in *Benedictina Parisiis* 1690, *tomo II, pagg. 301-320*, titulo *libri de Lapsu Virginis consecratæ*.

DE S. NICETA VETERUM TESTIMONIA.

S. LEONIS MAGNI *epistola ad Nicetam*.

Regressus ad nos, etc. (*Vide reliqua tomo nostro LIV, Epist. 159.*)

GENNADIUS MASSILIENSIS, *de Viris Illustribus* cap. 22.

Nicæas, Romaciænæ (a) civitatis episcopus, composuit simplici et nitido sermone competentibus ad baptismum instructionis libellos sex. In quibus continet primus, qualiter se debeant habere competentes qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire. Secundus est de gentilitatis erroribus: in quo dicit suo pene tempore Melodium (b) quemdam patrem familias ob liberalitatem, et Gadarium rusticum ob fortitudinem ab ethnicis esse inter deos translatos. Tertius liber de fide unicæ Majestatis; quartus adversus Genethlogiam (c); quintus de Symbolo; sextus de agni Paschalis victima. Edidit et ad lapsam virginem libellum (d). pede omnibus labentibus emendationis incentivum. HONORIUS AUGUSTODUNENSIS *de Scriptoribus Ecclesiasticis* lib. II, cap. 22.

Nicæas, Romaciænæ civitatis episcopus, composuit simplici et nitido sermone sex competentibus ad baptismum instructionis libellos. Ex quibus primus est

(a) Al., *Romanæ*, perperam. In aliis invenire se *Romaciænæ* testatus est Suffridus Petri.

(b) Corb. ms., *in quo pene tempus Meigidium quemdam patris familias... et Gadarium rusticum*, etc.

(c) Al., *Genethlogiam*. Nam in Corb. vitiose, *Genociam*.

(d) Id., *librum humane labentibus incentivum*.

(e) *Genethliologiam*.

(f) Immo, *Genethlogiam*, sive adversus Astrologos

C de competentibus baptismi; secundus de gentilitatis erroribus; tertius de fide unicæ Majestatis; quartus adversus Genealogiam (e); quintus de Symbolo; sextus de agni Paschalis victima. Condidit et ad lapsam virginem libellum pene omnibus labentibus emendationis incentivum.

JOANNES TRITHEMIUS *de Scriptoribus Ecclesiasticis* § 118.

Nicæas, Romaciænæ urbis episcopus, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, ingenio acutus, sermone apertus et nitidus, scripsit ad ædificationem legentium non contemnendæ lectionis opuscula, de quibus subjecta feruntur: *Ad Competentes qui ad Baptismum disponuntur Præparatorium*, lib. I; *de Erroribus Gentilitatis* lib. I; *de Fide unicæ Majestatis* lib. I; *adversus Genealogiam* (f) lib. I; *de Symbolo quoque* lib. I; *de victima Agni Paschalis* lib. I; *ad Virginem lapsam* lib. I (g).

CASSIODORUS *de Institutione divinarum Scripturarum* cap. 16.

Si quis vero de Patre et Filio, et Spiritu sancto aliquid summatim præoptat attingere, nec se ma vult longa lectione fatigare, ligat Niceti (h) episcopi libellum Genethliacos.

(g) In volumine Operum Joannis Trithemii ex bibliotheca Marquardi Freheri, Francofurti typis Wecheliani 101 in fol., post ultimum opusculum *ad lapsam Virginem*, hæc habentur: *Et quædam alia. Claruit tempore Theodosii et Honorii principum anno 420.*

(h) Al., *Nicæi*.

brum quem de Fide conscripsit, et doctrinæ cœlestis claritate completus, in contemplationem divinam compendiosa brevitate perducitur. Qui voluminibus sancti Ambrosii sociatus est, quos ad Gratianum principam destinavit.

Ex Martyrologio ms. membranaceo, veneranda antiquitatis, monasterii Sancti Galli Mosacensis, diocesis olim Aquileiensis dein Utinensis, ex Notkero et Usuardo probabiliter constato; cujus apographum, ex originali eductum et illustratum manu et studio clarissimi viri Josephi Bini archipresbyteri Glemontensis ac ejusdem monasterii et abbatis vicarii in Spiritualibus Generalis, exstat in Tabulario penitentiæ Metropolitanæ Capituli Utinensis. Ad x kal. Julii.
Sancti Nicæe Romane Civitatis episcopi.

Ex Martyrologio vetustissimo sancti Hieronymi presbyteri nomine insignito, quod ex codice ms. monasterii Corbeiensis sæcentorum circiter annorum Dacherius primum edidit Spicilegii tomo II, pag. 1, editionis in-fol., deinde Vallarsius in sua divi Hieronymi Operum editione inseruit tomo XI, pag. 457. — Ad x kal. Julii.

Depositio sanctæ memoriæ Niceti episcopi.

Ex vetustiori Occidentalis Ecclesiæ Martyrologio divo Hieronymo tributo, quod Franciscus Maria Florentinus Lucensis ex suo præsertim, ac Patriæ Majoris Ecclesiæ, pluribusque aliis probatæ fidei codicibus integre vulgavit; quoque nuncupandum esse Romanum a Magno Gregorio descriptum, ab Adone laudatum, proximioribus sæculis præteritum et expeditum, non leviora argumenta suavere in ipso voluminis titulo pronuntiavit. Lucæ 1668. — Ad x kal. Julii.

Depositio sanctæ memoriæ Niceti episcopi.

Ex Martyrologio Gellonensi, sive monasterii Sancti Guillelmi de Deserto, O. B. diocesis Lutevensis; quod exstat in Spicilegio Dacherii tomo II, pag. 25, præcitata editionis in-folio, et conscriptum creditur anno circiter 804, ut ex Monito præcedenti. — Ad x kal. Julii.

Nicæe episcopi.

Ex antiquo Martyrologio Gallicano, quod ex ms. domini Chauvelin regiorum sigillorum custodis, publici juris fecerunt Martenius et Durandus Veterum Scriptorum et Monumentorum, etc. tomo VI, col. 658, et ab annis circiter septingentis conscriptum ab eisdem dicitur in Observatione prævia. — Ad x kal. Julii.

Sancti Niceti episcopi.

Ex Martyrologio insignis Ecclesiæ Antissiodorensis, quod ex ms. Colbertino publici juris fecerunt iidem Martenius et Durandus Veterum Scriptorum et Monumentorum, etc. tomo VI, col. 685. — Ad x kal. Julii.

Beati Nicæi Romatiænæ civitatis episcopi.

Ado in Martyrologio, opera et studio Dominici Georgii, Romæ 1745. — Ad x kal. Julii.

Depositio Beati Nicetæ Romatiænæ civitatis episcopi.

Usuardus in Martyrologio, etc., opera Joannis Molani, Lovanii. Anno 1568. — Ad x kal. Julii.

Depositio sancti Nicæe, Romatiænæ civitatis episcopi.

A Usuardus in Martyrologio apud Bollandianos, Socias tom. VI. Junii parte 1, pag. 353, editionis Antuerpiensis. — Ad x kal. Julii.

Depositio sancti Nicæe, Romatiænæ civitatis episcopi.

Usuardus in Martyrologio sincero, ad autographi, in San-Germanensi abbatiæ servati, fidem edito, etc.: opera et studio (D. Jacobi Bouillart) presbyteri et monachi Benedictini e congregatione Sancti Mauri. Parisiis. 1748. — Ad x kal. Julii.

Depositio sancti Nicæe, Romatiænæ civitatis episcopi.

Notkerus in Martyrologio, apud Canisium Thesaurus Monumentorum, etc., seu Lectiones Antiquæ, etc., ex editione Antuerpiensi Jacobi Basnage, to. II, parte III, pag. 89. — Ad x kal. Julii.

Depositio beati Nicetii, Romanæ urbis episcopi.

B Ex Martyrologio ad usum Romanæ curiæ, Venetiis impresso per Fratres de Sabio, anno 1522. — Ad x kal. Julii.

Depositio sancti Nicæe, Romaciænensis episcopi.

Ex Martyrologio, multo quam antea purgato et locupletato a Francisco Maurolyco, etc.; Venetiis, apud Juntas 1568. — Ad x kal. Julii.

Depositio sancti Nicæe, episcopi Romaciænensis, doctrina et pietate conspicui.

Ex Martyrologio, sacræ Romanæ Ecclesiæ usui in singulos anni dies accommodato a Petro Galesinio. Mediolani, apud Pontium, 1578. — Ad x kal. Julii.

In Romatiæna civitate sancti Nicæe episcopi et confessoris; qui multis libris conscriptis, ac vita religiose acta, sanctimonie et doctrinæ laude florens, abiit ad Dominum.

C Ex Martyrologio Romano, ad novam Kalendarii rationem, et Ecclesiasticæ Historiæ veritatem restituto, et Gregorii XIII pontificis maximi jussu edito. Venetiis, apud Juntas, 1601. — Ad x kal. Julii.

Sancti Nicæe Romatiænæ civitatis episcopi, doctrina sanctisque moribus moribus clari.

Ex Martyrologio Romano, Gregorii XIII pontificis maximi jussu edito, et Urbani VIII auctoritate recognito, etc. Venetiis, apud Juntas, 1630. — Ad x kal. Julii.

Sancti Nicæe Romatiænæ civitatis episcopi, doctrina sanctisque moribus clari.

Ex Martyrologio Romano, Innocentii XI pontificis maximi auctoritate recognito, etc. Romæ, 1681. Typis reverendæ cameræ apostolicæ. — Ad x kal. Julii.

D Sancti Nicæe Romatiænæ civitatis episcopi, doctrina sanctisque moribus clari.

Ex Martyrologio Romani Editione novissima, a Benedicto XIV pontifice maximo aucta et castigata, etc. Ad x kal. Julii.

Sancti Nicæe Romatiænæ civitatis episcopi, doctrina sanctisque moribus clari.

LECTIONES PROPRIÆ

Ad usum archiepiscopalis Utinensis diocesis, a S. Rituum congregatione approbatæ die 23 Augusti 1794, pro officio sancti Nicetæ Aquileiensis episcopi, ad diem 22 Junii.

LECTIO IV. — Nicæas, seu Nicetas episcopus civitatis Romatiænæ, quo nomine Aquileiam, aut non

longe dissitum Portum Romatinum significari putant; idem ille perhibetur esse Aquileiensis Nicetas, ad

quem sancti Leonis Magni exstat epistola. Hic cum episcopatum cepisset, postquam Hunni, Attila duce, eam regionem vastaverant, vix statu rerum ad meliora converso, nonnulli cives a barbaris in captivitate abducti, liberi ad patriam remearunt, illico deprehendit ex occasione hostilis incursus plura gregi suo illata fuisse vulnera, quæ magnam curationis difficultatem videbantur afferre. Aliorum enim, qui interempti putabantur, mulieres novis erant conjugii irretitæ; alii immolatis cibis asserebantur esse polluti; alii iterato, vel semel quidem, sed ab hæreticis fuerat baptismum collatum. Itaque hæc omnia, per Adeodatum Romanæ Ecclesiæ diaconum, ad sanctum Leonem Magnum retulit, ut auctoritate nuntique ejus quid facto opus esset doceretur: qua in re et eximie erga populum suum charitatis, et maturi judicii, et debiti in primam sedem obsequii præclarum exhibuit argumentum.

LECTIO V. — Ad singulas solliciti præsulis consultationes respondit sanctus pontifex peculiari epistola Nicetæ Aquileiensi inscripta, quam et ad omnes fratres et comprovinciales episcopos ejus per ipsum voluit pervenire. Ac de feminis quidem, quæ aliis nupsent viris, legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda constituit, et idolo thitis usus pœnitentiæ satisfactione purgari; quæ tamen non tam temporis longitudine, quam cordis esset compunctione pensanda. Eos autem, qui ad iterandum baptismum vel metu coacti, vel errore traducti fuerant, per pœnitentiæ eidem remedium, habita moderatione, et iudicio episcopi, communionis voluit recipere unitatem: ac demum vel semel tantum, sed ab hæreticis bap-

zatos, sola invocatione sancti Spiritus per impositionem manuum statuit confirmandos. Nicetas itaque hac instructus ex veteri more a Romana sede doctrina, pro suo, quo exarserat, instaurandis disciplinis studio, necnon et pro ea, quæ erat affectus erga cathedram Petri reverentia, ad præteritorum errorum maculas abstergendas, quos bellica cladis interal, totus incubuisse merito creditur, ut Ecclesiæ suæ faciem ad pristina observantia dignitate restitueret.

LECTIO VI. — Quæ veromagis magisque illius vigilantiam in cura commissi sibi gregis ostendunt, ac simul ipsius eum Evangelicæ prædicationis laude doctrinam commendant, ea sunt ingenii monumenta, quæ, Gennadio Massiliensi et Honorio Augustodunensi testibus, nitido ac simplici sermone exarata reliquit, quorum tamen vix unum aut alterum non interit. Ediderat autem competentibus ad baptismum instructionis libellos, jam tum plurimi factos, et aliis hujusmodi præstantiorum Patrum hæc ubi rationibus sociatos, in quibus et de competentium ratione, qui ad baptismi gratiam cupiunt pervenire, et de gentilitatis erroribus, et de fide unice Majestatis, et contra Genethliologiam, et de Symbolo, et de agni Paschalis victima dissertebat. Libellum insuper ad lapsam virginem condidit, qui pene omnibus lapsis emendationis incentivum ab iisdem scriptoribus vocatur. Has inter pastoralis officii sollicitudines, cum triginta circiter annos Aquileiensem episcopatum administrasset, doctrina sanctisque moribus clarus ad pastorum principem evolavit, anno quadringentesimo octogesimo quinto.

SANCTI NICETÆ

EPISCOPI AQUILEIENSIS

DE RATIONE FIDEL.

1. Renatis hominibus per fidem, et sanctificatis secundum Evangelii formam in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et per hanc confessionem regnum celeste sperantibus, nihil magis utile esse dixit Apostolus, quam ut his honorum sit operum cura. Sic enim scribit ad Titum: *Et de his volo te confirmare, ut curam habeant bonorum qui credunt in Deo. Hæc sunt, inquit, bona et utilia hominibus. Stultas autem questionum et genealogias et rixas et pugnas legis devita; sunt enim inutiles et vanæ* (Tit. iii, 8). Hæc scribens beatus Apostolus, jam tunc prævidebat futuros homines qui per curiositatem et questionum inutiles curam honorum operum prætermisuri erant; et pacem, quam Dominus Ecclesiæ suæ reliquerat, perdi-

turi. Namque homines, qui dum alta sapere conantur, nec humilia intelligere permissentur, oblitum Apostoli, *Noti alta sapere sed time* (Rom. xi, 20), sic dum illicita præsumunt, etiam licita perdidit. Isti sunt qui cum nec fabricam cœli et terræ sensu colligere et capere valeant, ipsum conditorem et fabricatorem Deum capere et mensurare contendunt; et quem debent per operum magnitudinem et tantarum rerum immensitatem solummodo et simpliciter adorare, in questionem mittunt; et de qualitate mysterii ejus ac de quantitate disputant, dicentes: *Quantus Pater? qualis Filius? cujusmodi Spiritus sanctus? O homo, nondum te ipsum cognoscens, audes divina metiri?*

Vulgata novi Testamenti editio, ut carent bonis operibus præesse. Utitur ergo Nicetas (sicut etiam in Explanatione Symboli) antiquiore Bibliorum interpretatione, quæ a vulgata sæpe recedit; qui autem ejus interpretationis reliquias studiose conquirunt, ad

Nicetam quoque nostrum esse fractu jam respicient, ejus reigralia locos editionis vulgatæ in margine demonstravi. [Nos intra parentheses in textu descripsimus. Erit.]